DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUESTIO MEDICO - CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-sextâ mensis Februarii, Anno Domini M. DCC. LX.

M. DAVID VASSE,

M. *LUDOVICI PATHIOT*, vices gerente, Doctore Medico, Præside.

An vulnerum curatio quò simplicior, eò melior?

I.



CITO, *tutò & jucundè* maximè decantata Chirurgorum sententia Crepat illam in operationibus suis Ars ambidextra: crepet & illam in sagaci morborum omnium externorum curatione. His tribus unicè gaudeat tota, quibus si ritè consulit ritè procedit. Consulunt quidem peritissimi Magistri. Exulavêre tot diversi generis Spicula, Lanceoli, Forcipes, Laquei: exulavêre tot & Unguenta, Digestiva, Balsama, Caustica. Armamentarium ipsi suum mundavêre, officinaque multò minùs fœda fœtaque infirmorum oculis proponitur. Simpliciter agit & agit optimè natura. Naturam ministra sequatur Ars: ab illâ numquam vel unico obtutu deviet; & exinde si simpliciter cures, citò, tutò & jucundè curabit.

I I.

ENIM-verò cui bono tanta in curando vulnere topicorum farrago? Vulnus est recens continui solutio: continui redintegrationem natura citiùs-ociùs expetit & promovet. Si promoveat, absint tot incarnantia, tot cicatrisantia medicamenta, verba sanè futilia, quasi ab ipsis reapsè natura particulas renovandis accommodando fibris mutuaretur! & in hoc sensu *Sancassanianum* * illud intellige: *pharmacum nihil prodest in vulnerum curatione nisi ad decus politicum.* Dives opis natura suæ; quod sola gluten elaboravit, sola fibris rejungendis atque resarciendis idoneum suppeditare valet. Opibus ergo suis ut possit opportunè placidèque potiri omnis allaboret ars. Imò & ipsâ monstrante viam discet Chirurgus quod leviori juvare debeat armaturâ; patet enim illam ad rectos sanitatis tramites eodem ferè tenore semper remeare. Ad curam igitur vulnerum propero quò simpliciorem eò sanè meliorem; quod per theoriæ momenta, & per processum praxeos maximè comprobatum pro viribus conabor specialiùs demonstrare, 1°. quidem in vulnere simplici.

* *Sancassani aforism. della cura delle ferite.*

III.

SIMPLICIOR vulnerum cura ea eſt, quæ juvante ſimpliciùs Chirurgiâ, citiùs peragitur: quod ut fiat, per Phlebotomiam imprimis ſatagendum. Hæc enim ſi juxta vulneris indolem plus minuſve celebretur, niſi præceſſerit hæmorrhagiæ amplitudo & ſuppleverit, nimia vaſculorum turgeſcentia, inflammatio, ſtrangulatio, ſexcenta mala avertuntur, apparatuſque vulneri mox apponendus longè ſimplicior evadit & ſalubrior. Ille autem, quoad ſimplicem continui ſolutionem, ſi tonicam fibrillarum vim juxta vulneris labia corroboret, nimius fluidorum fluxus & ſubſequens majoris circum circa tumefactionis periculum certò reprimitur: *majoris*, inquam; nam benignam imò & utilem juxta vulnus ſororiari oportet, quia ſcilicet inciſæ fibræ corrugantur elatere, ſpatiumque profundius occupant. Corrugatio quæ canaliculorum undas & ſerpentinos influxus multiplicat, difficiliorem, ſi idem ac in partium continuitate toni permaneret vigor, humoribus appulſum ſtrueret: verùm tonica vaſculorum vis hebes cùm ſit, faciliùs illi penetrantur, ingurgitantur. Solum ergo topicum adhibendum, quod debiliorem acuere valeat corrugationem, appulſumque fluidorum ſimul temperare. Deinde vulnus ipſum fomento paululum vellicante detergendum; proindeque id ſolum roboris apertis canaliculorum oſculis impertitur, quo gluten, ut per inſenſilem ſtillationem ſolideſcat, indiget. Initio tamen, experientiâ teſte, fomenta nimiùm acuta ab intimo vulnere exulent; nè arteriolarum oſcula fortiùs conſtricta humores malè retardent, illi autem acorem induant, vividiùs quatiantur, in pus abeant. Periculum minus, ſi vicinia vulneris acutiore illo fomenti genere ſtimuletur: nam corrugata vaſculorum longitudo, deindeque magis conſtricta tardiorem tutioremque glutini viam dat, ut oſtiola in vulnere paulò laxiùs dehiſcentia lentiùs induantur & firmiùs: ſenſim enim & ſine ſenſu natura repit & perficit. Jam pauciſſimis Chirurgum indigere patet, quæ talem operam bene ſubminiſtent, & incaſſum tot unguenta ſtratificant, qui naturæ volunt imperare. Ad juvandam ſuppurationem nova-ne praxis? Minimè: mox expoſitam, ſi velis, inverte; rectiùs procedes & ſimpliciùs. Vulnus intimum vividioribus primo in apparatu aculeis vellicetur, confinia que ſine paulò laxiora. Fluidum faciliùs intromittetur, difficiliùs ſtillabit, acrius fiet, ſequetur inflammatio, nec mora pus & quidem laudabile, quod per plumaceolum fove ſtrato unguenti, ut aiunt, digeſtivi leviſſimo indutum: & illa ſit unguenti indoles, quæ paululum vivificet & lubrefaciat. Sufficit unicum, imò nullum non levioris notæ magiſtri admovere conclamant. Quidquid ſit, dummodò rectos naturæ tramites paraveris, ſibimet auxiliabitur, nec aberrabit, niſi vitium adſit fluidis intimum. Proh! quàm inopportunè ſtrata unguentorum malè pinguia multiplicas! ſiccinè per hoſtilem apparatum firmiores carnium ſurculos placidè ſororiari contendis? nonne vides per venena illa Peptica fluidis nutrientibus liberiorem invitâ naturâ viam aperiri: lentorem illis placidum, qui genuinæ cohæſionis fomes unicus, permitte. Sin minus aut emerget infirma & informa fungorum familia, laxior & periturus agger: vel pus ichoroſum & aquoſum affluet, lotura carnium cauſtica. Certiùs natura parturit. Fœtum dat ſola legitimum: non topicis malè preſſa, neque turundis precipuè colliſa. Infauſtus harum uſus quid ſibi vult? Hoſtis naturæ infenſiſſimus, vulneris tortor, Chirurgi malè cauti dedecus! Illas tanquam pugiones cave tu cautior! non enim labia vulneris atteres, contundes, invertes, callo indurabis: non pus in vulnere nidulans eliminari prohibebis. Si verò vulneris oſculatio retardari, quod raro fit, indiget: laxum plumaceolum arte longè minori paratum, vel ſi mavis duplicatum ſetaceum inſinua; vulneris labia amicè dehiſcent, pus liberiùs effluet; & à plumaceolis molliter ſuperjectis imbibetur. Non majorem Chirurgo faceſcet operam cicatrix. Quò lentius procedit vulnerum gluten, eò coalitioni propius, juxta innatam fluidorum humani coporis indolem. Nec illud à

sentore putrefieri timendum; partibus gaudet homogeneis nec dimicare invicem paratis: itaque lentiùs stillando siccius coëat, unde pelliculam supersterne firmiorem, quâ novum ædificantis lymphæ stillicidium ultrò cohibeatur, seu per collaterale canaliculorum commercium circulationis oceanum repetere cogatur. Sigillum & illud impervium vulneri natura non ars imponit. Cùm autem per totum ferè curationis stadium vulneris margines corroboraveris, vasaque cicatricem fabricantia gluten ex indole suâ lentius advehant, naturam ferè nullo, nullo, inquam, topico indigere liquet; vias jam habet paratas, ritè ambulabit. Felix confirmat experientia simplicitatem amicam veritatis. Mox idem de vulnerum accidentibus, ni fallor, judicandum.

I V.

AB hæmorrhagia principium. Hæc autem si copiosiùs & de trunco principe prorumpat, mox sanguinis alvei, quasi per syphonem, exhaurientur: cum vivifico latice profluet vitæ vis, animal occidet. Manum Chirurgia citiùs-ociùs admoveat, ideoque modum eò tutiorem quò simpliciorem advocet. Actuale cauterium nobis displicet; quorsum enim se tortorem prodat Chirurgus, si tutiùs, si jucundiùs mederi valeat? Non deinde talem obtinebis medelam, si potentiale cauterium adhibeas: v. g. linteola liquoribus vividè stypticis imbuta, frustulum vitriolicum xilo indutum, vel aluminosum cuniculum lateri ejaculantis arteriæ infixum. Nam quid inde? 1°. cauteriorum multiplicatio: 2°, dolor acutus & diuturnior: 3°. dum liquescit vitriolum, vicinasque arteriæ partes quasi serpendo rodit & depascitur, sanguis ambiens coagulatur, corrugata vasa circum circa putrefiunt: putrefactio profundior ambitum arteriæ hinc inde diruit, & si eschara decidat arteriæ, decidit & adjacens carnium eschara: mœnibus suis vas sanguinis impulsum firmiùs sustinentibus spoliatur, & sæpe sæpiùs diffringentis hæmorrhagiæ profluvium recrudescit. Modum ergo tutiorem aggrediamur & longè simpliciorem. Hîc autem ligaturam arteriæ compello à longo tempore multò feliciùs institutam: quæ bene si fiat, obex struitur impervius adversùs primos irruentis sanguinis impulsus. Unde sanguineum flumen sensim per laterales rivulos deflecti assuescit, placidiorque succrescit carnium agger, quo subitò post escharæ casum basis arteriæ velut obruitur, resistentiaque repercutiens intenditur. Modos tamen alios omninò non abigi volumus. Utinam vulnerum accidentia intra hæmorrhagiam consisterent! fortior enim contusio organicam carnium structuram atterit & quasi discerpit: simul contrita jacet vitæ vis: ingurgitantur humores, imbibuntur, stagnant, vitium capiunt desides, conquati non possunt, nec in pus converti, acorem induunt, corrodunt, vicina crispant, gangrænoso afflantur spiritu. Porrò pro tantâ fibrarum strage simpliciter & optimè resarciendâ, imprimis requiritur, ut contusæ partes humore illo lutoso & obruente subleventur, unde altior contusio scarificationum ostiolis, levior medicamentis acutè resolventibus lacessenda. Rursùs cum expertissimis magistris cave, ne leviorem contusionem topicis nimiùm acutis & penetrantibus exsicces & arefacias, & vice versâ. Tandem vis illa medicamentorum sit in ratione contusionis, & semper ea illorum indoles, quâ sanguinis stagnans ichor dissolvatur, particularum corrosio præpediatur, involvatur, carnes condiantur; roborentur aculeisque benignioribus stimulentur. Sic suppurationis opus proindeque partium contusarum collapsus sensim instruitur: & emerget omninò suppuratio, si contusæ fibræ medium artis beneficio inter nimiam laxitatem & ariditatem obtineant. Laxior contusarum compages affluens liquidum inertis instar spongiæ exsugeret, neque resistentiam prætenderet, mediante quâ per arietantem in suppuratione conficiendâ systoles vim detrudi debet: siccior verò & quasi retorrida contusarum compages adhuc dum semitritam fibrillarum subjacentium contiguitatem fortiùs distraheret, dolor acutè stringeret; vasculorum elater non temperatè, mediocriter reagens pus non conficeret, gangræna immineret. Verbo

dicam : habitâ graduum ratione, topica ſint molliter, ut ita dicam, corrobantia. Sic indicationibus obtemperas, teque à diverſo ſymptomatum concurſu feliciter & uno tenore expedis : nec antiquorum more crudeliter, aduris, myſteriiſque inhians non per mille topica ſpecificè condita curam affectas Dedalæam. Cùm autem agatur in theſi de recenti vulnere, quæ chronico competunt omittenda, nec ulteriùs excurram.

V.

OLIM in vulneribus capitis τὸ θεῖον Hippocraticum quodam modo venerabantur : illam humanæ mentis arcem non niſi grandiori Chirurgiæ apparatu & meticulosè tueri tentabant. Facem prætulit experimentum & ratio. Niſi enim fortiorem Pericranii contuſionem ſymptomata teſtentur, quidni ſimplex ſit vulnus, ſimplex curatio ? Idem ſanè ſentiendum de vulneribus Thoracem & infimum ventrem penetrantibus ; nam quid ſibi volunt ii, qui ſtylo tanquam pugione malum ſæpiùs abſens fruſtra interrogant, novum addunt ? Suum natura diverticulum per ſigna Chirurgo patefacit, quæ niſi proferantur, ſileat & Chirurgus. Nec potiori jure oſſium exfoliationem expectant & promovent, ſi vulnus illa nudaverit ; dummodò diuturnior aeris contactus & contuſio ſimpliciorem non dimoveant curam. Non majorem curandi apparatum partium tendinoſarum & nervearum vulnera expoſtulant ; iis enim vel ſolum terebenthinæ oleum, vel aliud quid ſimile deterſivi, digeſtivi, cicatriſantiſque vicem ſimul gerit, &c. Naturam tantùm ſuſtineamus titubantem, ſenſim robur ex ſeipſâ ſuſcipiet. Si verò magno illo topicorum contextu, quo turgebant olim, quem myſticè prædicabant, obruantur vulnera, languent naturæ vires, retardantur, deviant, fungi pullulant eryſipelas effloreſcit, labia callent. Antiqui naturæ neſcii totum ab arte, nos à naturâ mutuamur. Non ita tamen ſimplicem Chirurgiam volumus, ut mala quæ à quorumdam vulnerum indole promanare debent, nimiùm cunctando ipſa non avertat ; nam vulnera per ſclopetum vel per enſem partibus tendinoſis, vel aponevroticis inflicta niſi ampliando quaſi relaxaret, certò malorum ilias ab humore nidulante intùs & corrodente, & à ſtrangulante fibrarum conſtrictione ſuboriretur. Agat Chirurgus ut ſimplicior cura fiat, non ut implicetur. Denique in quocumque vulnerum genere viam ſternat ars naturæ ſimplicem, ad felicem curationis ſcopum natura citò, tutò, & jucundè perveniet ;

Ergò vulnerum curatio quò ſimplicior, eò melior.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Edmundus-Thomas Moreau, Scholarum Profeſſor deſignatus.

M. Joannes-Baptiſta Thurant.

M. Carolus Gillot.

M. Ludovicus-Petrus-Felix-Renatus le Thieullier, Regis Conſiliarius, & in majori concilio necnon in magnâ Regiæ Domûs & Franciæ Præfecturâ Medicus ordinarius & Chirurgiæ Gallico idiomate Profeſſor diſignatus.

M. Petrus-Ludovicus-Maria Maloet, Scholarum Profeſſor.

M. Alexander-Dioniſius Diepert, Bibliothecæ Facultatis Præfectus.

M. Ludovicus-Claudius Bourdelin, antiquus Facultatis Decanus, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæquè Societatis Berolinenſis Socius & in Horto Regio Chymiæ Profeſſor,

M. Michael-Ludovicus Vernage Eques, &, Regius Cenſor.

M. Claudius-Antonius Renard.

Proponebat Pariſiis ACHILLES GUILLELMUS LEBEGUE DE PRESLE, Aurelianenſis, Doctor Medicus Remenſis, ſaluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1760.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Med. Typographi, 1760.